



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres**

**Vismara, Ercole**

**Mediolani, 1579**

Mirac. Virg. XXXIX. Virgo morienti uiduae pauperi, sed honestae adest;  
dum diuiti, & improbo animam efflanti praestò sunt cacodaemones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

Praeterea una cum ipsa in iudicio adest regina, inter filias Hierusalem pulcherrima, cuius nomen non audeo memorare, sed perhorresco illud referens. Praestò. n. est mulieri Dei sponsa immortalis, quae ipsam custodit, ac tuetur. Id cum Romani audiissent, & iã falsus uates ob Virginem expauesceret, repentino timore perterriti sanctissimae crucis firmissimo signo se muniuerunt. Quamobrem ille, crucem ferre non potens, leuib. uētis simillimus, dispersus, ac disiectus se in fugam contecit. Ea res omneis incredibili laetitia affecit, qui immortales Deo gratias egerunt, mulierq. in tam capitali iudicio uicit, & absoluta est.

## MIRAC. VIRG. XXXIX.

*Virgo morienti uiduae pauperi, sed honestae adest; dum diuiti, & improbo animam efflanti praestò sunt cacodaemones.*

**S**acerdos opib. quidem affluens, sed parùm spectatae uitae, eodem tempore accersitus fuit; ut opem ferret diuiti homini, ac pauperrimae uiduae, qui in extremis laborabant. Illum. n. ea peragere oportebat, quae ecclesia praecipit ac iubet; & quae illo tēpore à pio sacerdote desiderari solent. ipse uerò absq. ulla mora statim ad diuitem properauit; quippe qui magis ad eius diuitias attentus erat, quam ad periclitantem animam sacris ritib. & sacramentis adiuuandam, & contra perfidum hostem Satanã armandam. Pauper autem mulier ex animo conciderat; neq. eius cura ulla gerebatur. Dum à diuite minimè diuelli posset; ad illum iterum uiduae nuncius accessit,

accesfit, per immortalem Deum eum obsecrans, ut ad  
misellam properaret, quae derelicta in uitae discrimi  
ne uersabatur. Sed ipse animo statuebat, è diuitis por  
ta pedem non efferre. aderat ibi fortè diaconus sacer  
doti inferuire affuetus à quo ille accusabatur, q̄ pau  
perib. in ijs, quae in tanto periculo opus erāt, & quae  
diuino praeccepto praestare cōpellebatur deesse uel  
let. Eos, n. licet sint pauperes, opus Dei maximi esse,  
atq. ab ipso rerum omnium artifice fuisse creatos, di  
cebat. Quòd si illos in minimis posuisset, monebat,  
exactam eius rei rationem apud Deum reddendam  
esse. At quia auarae mentis consilium flecti minimè  
poterat Diaconus inquit, ò sacerdos permitte, ut ego  
saltem ad illā eam; ne opportuna sacra postremò hoc  
in tempore illam deficient. Id cū datum fuisset, ille  
statim sacrosanctam eucharistiam piè, & sanctè attol  
lens, ad pauperis pauperem domunculam properat;  
ubi neq. cognatus erat, neq. amicus, neq. diuitiae,  
neq. suppellex, neq. ornati quicquam; sed tantum an  
reactae uitae decora, & honesta fama, ac gloria. Et  
profecto, sicuti ante diuitis lectum multi eius diuitiis  
inhiantes aderāt, itā propè uiduam stabat uirgo, pia  
rum uirginū choro consepta; unaq. omnes graui mor  
bo laboranti candidissimis linteis sudorem absterge  
bant. His uisis pedem referebat diaconus, quem ta  
men Virgo iussit accedere. Deinde sanctissimam  
eucharistiam una cum alijs uirginib. ipsa sanctè uene  
rata est; maximumq. illi honorem habuit. Vbi uerò  
mulier Christi corpus sumpsit, omnib. ritè, & solem  
niter peractis, diaconus laetitia, & gratulatione ple  
nus domum diuitis illius redijt. Sed ibi propè mise  
rè

rè lectum ingenteis molossos comperit; quorum horribili aspectu aegrotus perterritus, eijcite, dicebat, mordaceis illos canes; mihiq. misero, ac perduto succurrite. Idem retulit, illuc aduenisse quendam minaci uoce, & aspectu feroci, qui in miseri fauces aduncum ferrum defixit; ità ut è corpore animam extruserit, quam secùm ad cruciatus perferendos rapuit. His ità perterritus fuit ille, ut ferè semianimis ceciderit; quem adueniens Dei parens iussit bono animo esse. Non.n. inquit, tibi cacodaemonum imperus metuèdi sunt, quem coelestis gloria moratur; & cui definitus est in coelo locus. Se se igitur deposito metu colligens, gratias uirgini egit; uberrimosq. sanctitatis fructus ex ijs, quae uiderat, in toto uitae cursu semper percepit.

## MIRAC. VIRG. XXX.

*Virgo Bonitum antiſtitem Aluernensem coelesti ueſte donat; cum illi rem diuinam facienti adſuiſſet.*

**B**onitus antiſtes Aluernensis, beatus uir ita se compararat, ut totus esset in colendo Christo, eiusq. matre Virgine, & unicum ibi animi solatium situm haberet. Is, cum unà cum plurimis alijs esset in D. Michaelis templo, in remotam templi partem se abdidit; ut animus ad Deum, quem precabatur, esset propensior. Re diuina facta omnes praeter ipsum domum reuersi fuere; qui, licet diligèter ab aedituis fuisset perquisitus, semper tamen latuit. ob id sanctus uir alacriori animo ad meditandum se contulit.